



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Coloniensis Urbis Collegia Canonicoꝝ in Germania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227



DE COLLEGIIS
CANONICORVM
LIBER SINGVLARIS.

CAPVT I.

COLONIENSIS VRBIS COLLEGIA
Canoniorum in Germania.

IN Vrbe Coloniensi ad Rhenum Fl. sita sunt octo Canoniorum collegia, videlicet *S. Petri Metropolitanum, S. Gereonis, S. Seuerini, S. Cuniberti, S. Andreae, SS. Apostolorum, S. Mariae in gradibus, & S. Georgij.* sunt insuper duo Canonissarum & Canoniorum collegia, videlicet *S. Vrsulae cum Sodalibus, & S. Mariae in Capitolio,* praeter *S. Caeciliae* collegium, quod est Canonissarum reformatarum ac Canoniorum.

Metropolitanum collegium initia sua refert ad *S. Maternum* B. Petri Apostoli discipulum, Coloniensem, Treuerensium & Tungrorum Apostolum, & primum Coloniensi-

A

um E-

um Episcopum. Templum Metropolitanum, quod hodie augustissimum visitur, anno 1237. *Conradus ab Hoeffsteden* Coloniensis Archiepiscopus extruendum curavit.

Sunt in hoc illustri collegio Canonici omnes ex nobilibus Ducum, Comitum, aut Baronum familijs; exceptis septem aut octo Doctoribus Canonicis Presbyteris. Capitulares numero sunt sedecim, babentque ius eligendi Archiepiscopum omnes capitulares, tam nobiles quàm Doctores.

In eodem templo Metropolitano sacra trium Magorum siue Regum corpora adseruantur honorificentissimè, anno 1168. Mediolano Coloniã translata.

S. GEREONIS COLLEGIUM IN
Vrbe Coloniensi.

S Gereoncum Socijs trecentis & octodecim Thebeę legionis militibus, Diocletiano & Maximiano imperantibus, circa an. Christi 297. pro Christo occisi sunt eo loco, quo nunc S. Gereonis Basilica, rotundæ formæ visitur, à *S. Helena* Constantini Magni matre, anno ferè 301. fundata. Odeium siue chorum postea *S. Anno* Coloniensis Archiepiscopus adiecit.

In hoc collegio Canonici illustres siue nobiles sunt sedecim, inter quos Præpositus & Decanus, Ducum vel comitum familia debet esse